

26, 19

Ritter-Akademie zu Brandenburg.

Zu der

am 22. März 1869 Vormittags 12 Uhr im Festsale
der Ritter-Akademie stattfindenden Feier

des

Allerhöchsten Geburtstages Seiner Majestät des Königs

ladet ehrerbietig und ergebenst ein

der Director

Dr. Ernst Köpke,
Professor.

XIII.

Inhalt des Programms:

1. De nuntiorum in tragoediis Graecis personis et narrationibus. Vom Oberlehrer
Dr. H. Hornung.
2. Bericht über das Schuljahr von Ostern 1868 bis Ostern 1869. Vom Director.

Brandenburg a. H., 1869.

Gedruckt bei Adolph Müller.



96r
2 (1869)



1884

De nuntiorum in tragoediis Graecis personis et narrationibus.

I.

¶nter varias tragoediarum Graecarum personas haud scio an nullius frequentior sit usus quam nuntiorum, immo paucae exstant fabulae, a quibus ea persona prorsus aliena est. Itaque facile intelligi potest, qui factum sit, ut posterioris aetatis grammatici nuntium quasi pro stabili haberent tragoediae persona, quae in genere affero grammaticum anonymum apud Cramer. Anecd. Paris. I, 3, sq. (cf. Mein. fragm. Com. II, 2 pag. 1242) qui falsa cum veris miscens haec habet: *διαφοῦνται τὰ μερικὰ ταῦτα εἰς πολλὰ, εἰς προλογοῦντας, εἰς ἀγγέλους, εἰς ἐξαγγέλους, εἰς κατασκόπους, εἰς φύλακας, εἰς ἥρωας, εἰς θεούς, κ. τ. λ.* Eodem spectant duo versus Joannis Ttzeae (*περὶ τραγικῆς ποιήσεως* v. 140, in Mus. Rhen. IV, 3 pag. 487):

*τὸ σκηρικὸν πρόσωπον αὐ̄ τέμνει πάλιν
εἷς τε σκόπους, σάλπιγγας, εἷς τοὺς ἀγγέλους.*

et Philostrat. vitt. Soph. I, 9, 1 pag. 492 Olear.: *εἰ γὰρ τὸν Δισχύλον ἐνθυμηθεῖην, ὡς πολλὰ τῇ τραγωδίᾳ ξυμβάλετο, ἐσθῆτί τε αὐτὴν κατασκευάσας καὶ ὀκρίβαντι ὑψηλῶ καὶ ἡρώων εἶδεσιν, ἀγγέλοις καὶ ἐξαγγέλοις, καὶ οἷς ἐπὶ σκηνῆς τε καὶ ὑπὸ σκηνῆς χρῆ πρόπτειν.* Ex iis locis, quos priori loco attuli compluria fuisse nuntiorum genera discimus, ex hoc extremo totum illud nuntiorum genus inventum esse ab Aeschylō, quem quidem de excolenda et expolienda tragoedia optime meritum esse et in ipsa poesi scenicoque apparatu ad res novas consurrexisse satis superque constat. Sed de illo Philostrati dicto, ab Aeschylō nuntii personam in tragoediam introductam esse, quid sit statuendum infra videbimus.

Jam vero quaerentibus nobis, qui factum sit, ut poetae in fabulis conscribendis tam raro abstinerint nuntii persona, tres imprimis causae offeruntur.

1. Nuntii persona artissime cohaeret cum origine ac natura tragoediae Graecae, quam a dithyrambo, carmine lyrico in Bacchi honorem a quinquaginta choreutarum choro cantato profectam esse nemo ignorat. Minus perspicuae sunt permultae aliae res ad hoc poeseos genus spectantes; nam tragoediae origines in obscuro latere vel gravissimus auctor affirmavit Aristoteles, et nostra demum aetas, ut multis in rebus abdita in lucem protrahere conata est, ita etiam hac in quaestione aliquid audendum rata, divinando investigare studuit, quae antiquissimae fuerint istorum poematum formae. Utcunque res se habet, id sine dubio licet contendere, variis commutationibus*) opus fuisse, priusquam ex illis carminibus dithyrambicis tragoedia, qualem postea videmus, posset proficisci. Nam primo loco aberant actores, sine quibus de justa fabula omnino sermo esse nequit, id quod disertis verbis exponit Athenaeus XIV pag. 360 C: *συνεστήκει δὲ καὶ σατυρικὴ πᾶσα ποιήσις τὸ παλαιὸν ἐκ χορῶν ὡς καὶ ἡ τότε τραγωδία· διόπερ οὐδὲ ἰποκριτὰς εἶχον*. Illarum autem commutationum maximam maximeque memorabilem fecit Thespis Atheniensis, qui Pisisstratidarum tempore dux chori cyclici justae tragoediae inventor exstitit, cum dithyrambici chori duci alterum actoris munus adderet eumque aptis intervallis aliquam fabulam e carminibus epicis depromptam neque proprie spectantem ad carmen Dionysiacum recitantem faceret. Nec vero censendus est is quidem cum choro collocutus esse, sed additamentum illud epicum nullo arctiore vinculo cum dithyrambo erat conjunctum, (vide Diog. Laert. III, 56: *ὥσπερ δὲ τὸ παλαιὸν ἐν τῇ τραγωδίᾳ πρότερον μὲν μόνος ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν, ὕστερον δὲ Θέσπις ἓνα ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν ἑπὲρ τοῦ διαναπαύεσθαι τὸν χορὸν*). Posteriori deinde tempore carminum dithyrambicomum argumenti cum actoris — si licet vocabulo uti de eo, qui non tam agebat quam recitabat — narrationibus concentum quendam effectum esse non est quod moneam. Atque in hoc quidem primo actore agnosco nuntium, qualem in excultae artis tragoediis videmus, cujus narrationes, quippe quae epicam prodant naturam, multis aliis rationibus epici carminis memoriam retinuisse infra explicabimus. Cujus rei testimonium affero Aeschylus Persas, in qua fabula, veterrima ea quidem omnium, quae ad nostram usque aetatem pervenerunt, nuntio tam gravem tamque amplam poeta tribuit personam, ut exceptis carminibus lyricis nulla tragoediae persona majorem versuum numerum amplectatur. Eandem sententiam G. Hermannus video in medium protulisse, qui in praefatione ad Euripidis Cycl. pag. VI**) haec dicit: „Illud non videtur dubium esse, inter chori cantus unum aliquem de grege prodisse, qui aliquam antiquam fabulam non ageret, sed narrando recitaret. Inde mansit, ut in omni tragoedia, atque, ut videtur, etiam in fabula satyrica, aliqua nuntii narratio pro necessaria parte fabulae haberetur, sive is nuntius nihil aliud quam nuntius esset, sive partes ejus eorum uni tribuerentur, qui alias

*) cf. Aristot. probl. XIX.

**) cf. ejusdem praef. ad Eurip. Bacch. pag. IX.

in fabula easque graviore personas sustineret. Facile autem existimare licet, narrationes istas fere ex antiquorum epicorum carminibus peti solitum fuisse, quod iis tum omnium rerum olim gestarum fama contineretur. Postea placuit non solum narrare aliquid nuntium, sed etiam ipsum agere. — Deinde inventum, ut istae narrationes omnes unius argumenti perpetuitate conjungerentur, quique inter singulas partes cani solebant dithyrambi commutarentur cum ejusmodi carminibus, quae ad illud argumentum, de quo actor exponeret, pertinerent.⁴⁶

2. Alteram causam, cur poetae saepissime nuntii personam in fabulis adhibuerint, affert schol. ad Soph. Oedip. Col. v. 1579: ἀφίεται (ὁ ἄγγελος) ἔνια ἀγγέλων τῶν πραγμάτων ἐπὶ τῆς ἐρημίας· οὐ γὰρ πάντα δυνατὸν ἦν θεάσασθαι. Fuerunt sane multae res, quibus ratio quaedam intercederet cum propria fabularum actione, de quibus poeta nisi adhibita nuntii narratione, spectatores non facile posset docere. Valebat enim apud veteres poetas tragicos ea lex, ut tragoediae actio, quae et ipsa unica neque episodiis insertis amplificata esse oportebat, angustis unius loci uniusque diei finibus circumscriberetur. Μίαν πρᾶξιν ὅλην καὶ τελείαν ἔχουσαν τι μέγεθος tragoediae postulat Aristoteles in libello, quam de arte poetica scripsit (cap. VII) et alio loco ejusdem commentarii (cap. V), ubi loquitur de discrimine, quod intercedit inter carmen epicum et tragoediam, haecce legimus: ἔτι δὲ τῷ μήκει [sc. διαφέρει ἡ ἐποποιία τῆς τραγωδίας]· ἡ μὲν γὰρ ὅτι μάλιστα πειράται ὑπὸ μίαν περίοδον ἡλίου εἶναι ἢ μικρὸν ἐξαλλάττειν, ἡ δὲ ἐποποιία ἀόριστος τῷ χρόνῳ, καὶ τούτῳ διαφέρει. Quae cum ita essent quum non possent poetae ejusmodi res, quae sive temporis sive loci longo intervallo disjunctae essent a proprio fabulae argumento, sic exponere spectatoribus quasi agerentur, nuntiorum opera uti narrando exponere solebant. Ita nuntius in Oedipo Rege refert, quomodo expositus sit infans Oedipus et a pastore sublatus, quomodo Laius oraculum Delphicum consulturus domo profectus in trivio sit interfectus, quae res multis annis ante justam fabulae actionem acciderant. Similis est ratio in Aeschyli Persis, qua in fabula nuntius refert de pugna Salaminia jamdudum commissa. Sed in hac fabula aequae atque in Sophoclis Antigona ejusdemque poetae Oedipo Coloneo et aliis fabulis ut nuntii opera uteretur alia etiam causa poeta commotus esse videtur. Nam quo modo, quaeso, poeta, quanta erant illis temporibus apparatus scenici angustiae, spectatorum oculis ostendere potuisset res, quas nuntium facit narrantem, etiamsi voluisset neque ullo alio impedimento fuisset prohibitus.

Quod attinet ad Aeschyli fabulam, cujus modo fecimus mentionem, aliam praeterea causam affert G. Hermannus in dissert. de Aeschyli Persis (Opusc. II. pag. 30): „Magnopere falleretur, qui putaret, aptius celebrari virtutem Graecorum potuisse, si ipsi feliciter hostem profligantes in scenam essent introducti. Nam ut id nunc, rebus illis ex vetustate admirationem et veluti sanctitatem adeptis, recte fieret, at Aeschyli aevo illi, qui Persas fugarant, non

poterant semet ipsis spectantibus, sine offensione in scenam produci. — Opus erat actoribus singularum partium; qui si certas et notas personas egissent, veluti Themistoclem, vel Eurybiadem, id vix ab ridiculo abfuisset. Quos enim quotidiano aspectu vel familiari consuetudine notos habemus, ii, quantumvis vel oris majestate graves, vel morum sanctitate venerabiles sint, tamen poetica sublimitate ornati, quoniam veritas fictionem arguit, tantum abest, ut magis videantur admirandi esse, ut absurdi potius et ridiculi fiant.“

3. Tertiae denique causae, cur saepe nuntii personam in tragoedia introduxerint poetae, mentionem fieri video in Schol. ad Soph. Ajacem v. 813 et Horatii versibus Ep. ad. Pis. 179 seqq.:

Aut agitur res in scenis aut acta refertur.
 Segnius irritant animos demissa per aurem,
 Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus et quae
 Ipse sibi tradit spectator. Non tamen intus
 Digna geri promes in scenam, multaque tolles
 Ex oculis, quae mox narrat facundia praesens.
 Ne pueros coram populo Medea trucidet etc.

Aeschylō igitur duce, id quod discimus e scholio modo laudato, qui τὸ ὑπὸ σκηνῆς ἐποδνῆσαι ἐπενόησαν, ὡς μὴ ἐν φανερῷ σφάττοι*) veteres poetae usi sunt nuntiorum ministerio, ne cogerentur spectatoribus ostendere, quae foeda essent adspectu. Humanitas igitur postulavit, ut et necem removerent a scena et omnia quae visum offenderent, qualis est Oedipus ipse sibi oculos effodiens et permulta alia. Huic enim legi primariae subjecti erant et poetae et eujusvis generis artifices, ut pulchritudinem exprimerent atque effingerent et magistratus scimus suum esse judicasse vel vi adhibita artifices his finibus continere. Quo in genere apud Thebanos legem fuisse memoriae est proditum, qua poetae jussi sunt res pulchras imitari, a deformitatis imitatione abstinere. Si igitur veteres poetae, qui quidem ad summum artis gradum pervenerant, res foedas atque deformes spectantium oculos celabant et nuncios de iis referentes faciebant, quid aliud quam iis legibus obtemperabant, quas Gratiae arti praescripserant. Ad rem propositam adhibenda sunt multa, quae Lessingius in Laocoonte suo optime disseruit de finibus, quibus pictura et poesis artes sint circumscribendae: ut enim poeta permulta potest verbis exprimere, quae non liceat effingere pictorem, ita multa quoque sunt, quae agendo sub adspectum subijcere non deceat poetam tragicum, narrando exponere prorsus deceat. Nihilominus si in Sophoclis fabula spectatores vident quidem Ajacem gladio succumbentem, tamen hujus necis adspectum deformem ita poeta levavit, ut e longinquo et quasi per transennam, quippe silvulae connectum margine mortem sibi consciscentem faceret, ut recte exposuit Lobeckius annotatione

*) Philostr. V. Ap. VI, 11, 241.

versui 813 editionis suae adscripta. Quod contra idem vir doctus addit l. l., non nimis delicatos fuisse Graecos ejusmodi in rebus, Euripidis nos moneri exemplo, qui abscissum a matre Penthei caput spectatoribus ostendere non sit veritus, parum id mihi quidem probatur; scimus enim hunc poetam multis aliis in rebus a severa Aeschyli et Sophoclis disciplina recessisse, atque hac in re mihi videtur degeneratae artis speciem praebuisse. Sed haec haec de nuntiorum personis, jam transeamus ad eorum narrationes.

II.

Ex iis, quae adhuc disserui, elucet nuntiorum narrationes aequae ac chori carmina et arcto vinculo cum tragoediae origine et natura fuisse conjunctas et pro necessaria parte oeconomiae tragicæ, ut ita dicam, esse habendas. Magnam autem in his nuntiorum narrationibus elaborandis et expoliendis poetas, imprimis Aeschylum et Sophoclem, operam consumpsisse magna arte esse usos, nec veteres grammaticos*), neque nostrae aetatis viros doctos effugit**); quumque eximia arte essent eae nuntiorum partes elaboratae, vix monendum est, ad eas apte agendas non contemnendo opus fuisse histrione, qualem Nicostratum***) fuisse accepimus, qui fuit ὑποκριτῆς τραγικῶς ἄριστος, καὶ μάλιστα ἐν ταῖς τῶν ἀγγέλων ἐξαγγελίαις.

Sed jam satis est, haec in universum de nuntiorum personis disputasse; jam, ut est propositum, ad ipsas illas narrationes, quae ῥήσεις ἀγγελικαὶ a grammaticis †) appellantur, transeamus ac primum quidem quaeramus, num omnino nuntiorum in tragoediis oratio differat a dialogi tragici oratione, deinde quaenam sint hujus dictionis proprietates, de quibus rebus alios alias in medium protulisse video viros doctos sententias.

Obiter tantum fabulas Sophocleas tractantem non effugiet sedulo curam adhibuisse poetam, ut oratio nuntiorum, excubitorum, denique omnium mediocri conditionis hominum differat ab eo dicendi genere, quo utuntur, qui regio genere orti vel in fastigio tamquam vitae collocati sunt. Atque hos quidem, quum jam corporis habitu cultuque ab illis separatos vellent poetae, pallam magnificam auroque pictam trahentes in scenam introducebant iisque, quo corporum humanorum magnitudinem superarent, dabant cothurnos. Contra servos, nuntios aliosque humilioris sortis homines ἐμβάδει ††) faciebant ingredientibus aequae atque

*) cf. Schol. Soph. Ai. 719: θανάσιμὴ δὲ ἡ εἰσοδος τοῦτον τοῦ ἀγγέλου, quod iudicium deinde ab ipso scholiasta causis confirmatur.

***) cf. G. Hermann adnat. ad Aesch. Pers. v. 294.

***) Com. Gr. V. pag. 365. Prov. Coisl. 124.

†) Phrynichus Segn. pag. 26 Ἀγγελικὰ ῥήσεις ἢ τῶν ἀγγέλων ἐν ταῖς τραγωδίαις ῥήσεις.

††) cf. Pollux. VII, 85. 115.

actores comicos, quum a comoedia cothurnus omnino esset alienus. Ad hunc vero corporis habitum dictionem agentium accommodatam esse videmus. Oratio eorum, qui divina vel regia stirpe orti primas suscipiunt partes, et ingenuitatis gravitatisque speciem praebet et splendet verborum imaginumque magnificentia, ad quam rem spectant versus, quos Aristophanes Ran. 1460 Aeschylum facit dicentem:

*κἄλλως εἰκὸς τοὺς ἡμιθέους τοῖς ῥήμασι μείζοσι χρῆσθαι
καὶ γὰρ τοῖς ἱματίοις ἡμῶν χρῶνται πολὺ σεμνοτέροισιν.*

Nuntiorum vero quippe servorum dictio et multo est simplicior et interdum etiam prope accedit ad quotidianum sermonis genus. Sed monendum est ea quae modo diximus non tam ad Euripidis quam ad Aeschyli ac maxime ad Sophoclis tragoedias esse referenda, nam Euripides fuit poeta ochlocratiae omnia rerum humanarum discrimina miscentis atque obliterantis, nec mirandum est, si ejus fabulis illius aetatis imago in modum speculi redditur, neque servorum oratio interdum multum differt ab oratione eorum, qui primas et gravissimas partes agunt, quum hi haud raro delabuntur ad vitae quotidianae communem et pervagatam dicendi rationem. Ita, ut exemplum efferam, non facile erit, cui apti videantur versus illi magnifici, quos recitans nuntius in Bacchis v. 659 seqq. in scenam procedit:

*Πενθεῦ, κρατύνων τῆςδε Θηβαίας χθονός,
ἦκω Κιθαιρῶν' ἐκλιπῶν, ἔν' οὐποτε
λενκῆς χιόνος ἀνεῖσαν εὐαγεῖς βολαί.*

Neque minus apta est in ore servi ejusdem coram Pentheo rege sententia, qua perorat v. 765 seqq.

*οἶνον δὲ μηκέτ' ὄντος οὐκ ἔστιν Κύπρις
οὐδ' ἄλλο τεργνὸν οὐδὲν ἀνθρώποις ἔτι.*

Longe aliter Sophocles, qui cum semper in moribus ingeniisque hominum fingendis et describendis eximiam artem ostendisset, jam illam consummavit et omnia plane ad veritatem adduxit, ita tamen, ut tragoediae dignitatem servaret*), cumque semper id quod conveniebat feliciter reperiret apteque eloqueretur, neque incideret in forensem illam loquacitatem, qua Euripides gaudet, maximam consecutus est varietatem, quam suo jure scriptor vitae laudat his verbis: ἡθοποιεῖ δὲ καὶ ποικίλλει καὶ τοῖς ἐπινοήμασι τεχνικῶς χρῆται, Ὀμηρικὴν ἐκμαθόμενος χάριν. Huc quoque spectat illud Aristophanium ab eodem vitae scriptore allatum: οὐ καίφους ἐπεκαθέξεται ἐπὶ τοῖς χεῖλεσιν. Nihilominus veteres quidam grammatici, in his Dionysius Halic. et Longinus hanc Sophoclis in moribus describendis et sermone apte temperando varietatem tantum aberant, ut poetae laudi tribuerent, ut vitio verterent et improbarent, quem ad modum legimus apud Dionysium l. l. II, 11:

*) Dionys. Halic. de cens. vett. script. II, 11: Σοφοκλῆς δ' ἐν τοῖς πάθεσι διήμειχε, τὸ τῶν προσώπων ἀξίωμα τηρῶν.

καὶ ὁ μὲν (Σοφοκλῆς) ποιητικὸς ἐστὶν ἐν τοῖς ὀνόμασι, καὶ πολλάκις ἐκ πολλοῦ τοῦ μεγέθους εἰς διάκεινον κόμπων ἐκπίπτων, οἷον εἰς ἰδιωτικὴν παντάπασι ταπεινότητα κατέρχεται. Similiter judicat Longinus de sublim. 33 extr.: ὁ δὲ Πίνδαρος καὶ ὁ Σοφοκλῆς ὅτε μὲν οἷον πάντα ἐπιφλέγουσι τῇ φορᾷ, σβέννυνται δ' ἀλόγως πολλάκις καὶ πίπτουσιν ἀτυχεστάτα, neque aliter cogitasse videtur Plutarchus, si quidem de audit. pag. 45 B Σοφοκλέους ἀνωμαλίαν vituperat, quas omnes vituperationes ad nuntiorum potissimum narrationes pertinere, mihi quidem non videtur monendum esse. Non potuerunt sane illi veteres quas sibi finxerant de dura quadam tragoediae gravitate notiones cum jucunda varietate Sophoclea conjungere.

Supra dictum est, nuntiorum narrationes originem duxisse ex epicis carminibus, quare per se in promptu est, sedulo poetas operam dedisse, ut et vocabulorum elocutionumque delectu et singularum formarum usu, denique sententiarum nexu et structura illius originis vestigia servarent. Quamquam id non ita intellectum volo, in nuntiorum quippe epicis tragoediae partibus poetas Homeri vestigia pressisse, in reliquis dialogi partibus et in chori carminibus ejus exemplum non esse secutos. Ipse enim Aeschylus profitetur τὰς ἑαυτοῦ τραγωδίας τεμάχη εἶναι τῶν Ὀμήρου μεγάλων δειπνῶν*) et Eustathius**) loquitur de Sophocle Ὀμηρικῶ ζηλωτῇ et de eodem φιλομήρῳ***), sed in nuntiorum sermonibus magis quam in reliquis tragoediae partibus servata est carminis epici indoles ac proprietas. Quo in genere facile licet observare, in ea fabula, quae tempore omnium, quae ad nos pervenerunt, veterrima est ideoque proxime accedit ad epici carminis naturam, in Aeschyli Persis, Homericæ quoque dictionis plurima deprehendi vestigia, quum in iis fabulis, quae longiore spatio ab illa origine separatae sunt, vix hic illic ullum exstat illius dictionis exemplum. Verum enim vero in illa tragoedia, cujus modo mentionem feci, quantum valeat illa epica natura, luculentissime docet narratio nuntii inde a versu 447. Etenim postquam is pugnae Salaminiae descriptionem, quae in tanta simplicitate tam magnifica est, ut neminem, qui aliquo venusti sensu polleat, non sponte virtutes ejus intellecturum putem, ad finem perduxit, poeta, ne in pugnae descriptione res acquiesceret et quasi refrigeraretur, exorto inter nuntium et Atossam colloquio duas alias narrationes intexuit, unam de occisis in insula Psyttalea, alteram de afflictis in fuga per Thraciam, unde expectatio excitatur regis adventuri et consultatio de placanda deorum ira. Ejusmodi autem digressiones, ut et ipsae epici carminis non tragoediae propriae sunt, ita etiam prorsus epico modo instituuntur v. 447 seqq.:

νήσος τις ἐστὶ πρόσθε Σαλαμῖνος τόπων,
βαῖά, δύσομος ναυσίν, ἦν ὁ φιλόχορος

*) Athen. VIII. pag. 347 E.

**) ad Il. Θ. pag. 740.

***) p. 1140.

Πὰν ἐμβατεύει, ποντίας ἀκτῆς ἐπι·
ἐνταῦθα πέμπει τούσδ'.

Cum his versibus comparentur, quae legimus apud Homerum δ, 844 seqq. :*)

ἔστι δέ τις νῆσος μέσση ἀλλὶ πετρήεσσα,
μεσσηγὺς Ἰθάκης τε Σάμοιό τε παιπαλοέσσης,
Ἄστερίς, οὐ μεγάλη· λιμένες δ' ἐνὶ ναύλοχοι αὐτῇ
ἀμφίδουμοι· τῇ τόνγε μένον λοχόωντες Ἀχαιοί.

Diximus antea, colloquium exortum esse inter nuntium et Atossam, sed ejus dialogi summa illuc pertinet, ut nuntius res gestas clademque exercitus Persarum copiose et abundanter narret, Atossa hanc suorum calamitatem conquesta illum, ut plura referat, exhortetur v. 478:

σὺ δ' εἰπέ, ναῶν αἰ πεφεύρασιν μόρον
ποῦ τάςδ' ἔλειπες· οἷσθα σημῆναι τορῶς;

Tum nuntius, nulla prorsus ratione habita formae dialogicae, quasi ab Atossa omnino non esset interruptus, sic pergit:

ναῶν δὲ ταροὶ τῶν λελειμμένων σύδην
κατ' οἶρον οὐκ εὖκοσμον, αἴρονται φρυγῆν,

ubi Rob. *ναῶν* γέ, libri omnes *ναῶν* δὲ exhibent, quam librorum lectionem non esse sollicitandam ex iis quae supra demonstravimus, facile perspicitur. Tuetur praeterea hanc lectionem, quam jure meritoque Hermannus recepit, scholion: οὗτος ὁ συνδεσμός συνάφειά ἐστι πρὸς τὴν ἄνω διήγησιν αὐτοῦ τοῦ ἀγγέλου, εἰ καὶ διὰ μέσου ἢ Ἄτοσσα ἀπεκλαύσατο τὴν τῶν Περσῶν δυστυχίαν.

Sed multis praeterea aliis rebus demonstrari potest, in nuntiorum narrationibus poetas sedulo curasse, ut epico colore, ut ita dicam, eas tingerent. Quamquam non credendi sunt magni illi tragoediae principes carminibus Homericis quasi in servitutem se addixisse, sed libertatem sibi servarunt et quod ex Homero desumptum in suum usum convertebant, ita commutabant, ut sui ipsorum ingenii quasi signo notarent, quod verum esse neminem effugiet qui obiter tantum inspexerit, quae statim allaturus sum. Jam singula tractemus:

Et primum quidem temporum in illis narrationibus descriptiones prorsus Homericis usu expressae sunt: Aesch. Pers. v. 357: εἰ μελαίνης νυκτὸς ἔξεται κνέφας (Hom. ι, 168: ἦμος δ' ἥελιος κατέδυ καὶ ἐπὶ κνέφας ἦλθεν); ibid. 364: εὖτ' ἂν φλέγων ἀκτίσιν ἥλιος χθόνα λήξῃ, κνέφας δὲ τέμενος αἰθέρος λάβῃ (Hom. ε, 479: οὐδέ ποτ' ἥελιος φαέθων ἀκτίσιν ἐβάλλεν); ibid. 377: ἐπεὶ δὲ φέγγος ἡλίου κατέφθιτο καὶ νύξ ἐπήει (Hom. ε, 294: ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ); ibid. 387: ἐπεὶ γε μέντοι λευκόπωλος ἡμέρα πᾶσαν κατέσχε γαῖαν εὐφεγγῆς ἰδεῖν

*) cf. ε, 116 seqq.

(Hom. ψ, 244: οὐκ ἔα ἵππους ξείγνυσθ' ὠκύποδας, φάος ἀνθρώποισι φέροντας); Soph. Antig. 415: ἔς τ' ἐν αἰθέρι μέσῃ κατέστη λαμπρὸς ἡλίου κύκλος (Hom. Θ, 68: ἡμὸς δ' ἥλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκει).

Deinde ex Homero sine dubio petitae sunt haec verborum conjunctiones:

Aesch. Pers. 261: αὐτὸς δ' ἀέλιπτος νόστιμον βλέπω φάος, quem versum scribenti poetae exemplo fuerunt haec duo elocutiones Homericæ νόστιμον ἡμᾶρ ιδέσθαι et ὄρα ἄν φάος ἡελίοιο. Similis exstat locus Pers. 299: ξῆ τε καὶ βλέπει φάος, quo pleonasmo haud raro usum esse Homerum nemo nescit; (cf. I, 88: ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δευρομένοιο et ξ, 44: εἴ που ἔτι ζῶει καὶ ὄρα φάος ἡελίοιο); Aesch. Pers. 402: παῖδες Ἑλλήνων (cf. Hom. X, 156: υἴες Ἀχαιῶν); Sept. 569: Ἀμφιαρέω βία, 571: Τυδέως βία, 577: Πολυνείκους βία et saepius (cf. ἱερὴ ἴς Τηλεμάχοιο, ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο, βίη Ἡρακλῆος); Pers. 397: ἔπαισαν ἄλμην βρύχιον ἐκ κελεύσματος (cf. Hom. η, 328: ἀναρρίπτειν ἄλα πηδῶ et δ, 480: ἐξῆς δ' ἐξόμενοι πολὴν ἄλα τύπτον ἐρετμοῖς); ibid. 443: ἐναλίων πόρων et 367: πόροι ἀλίροθοι (cf. Hom. Α, 312: ὕγρα κέλευθα); ibid. 444: θεὸς ναῶν ἔδωκε κῦδος (cf. Hom. Θ, 216: ὅτε οἱ Ζεὺς κῦδος ἔδωκεν); ibid. 272: νεκρῶν ἐφθαρμένων (cf. Hom. λ, 147: νεκρῶν καταεθνηγῶτων); ibid. 279: στρατὸς δαμασθεῖς (cf. Hom. ξ, 11: κηρὶ δαμείς); ibid. 320: πολύπονον δόρυ ναμῶν (cf. Hom. φ, 60: στονόεντες οἵστοι et φ, 245: τόξον μετὰ χειρὸν ἐνώμα); ibid. 349: de Atheniensium urbe dicitur ἔρκος ἐστὶν ἀσφαλές (cf. Hom. Τ, 229: ἔρκος Ἀχαιῶν); Soph. El. 747: τμητοῖς ἱμᾶσι (cf. Hom. Κ, 567: εὐτμήτοισιν ἱμᾶσιν).

Tum multi exstant loci, qui adeo ad Homeri ingenium modumque accommodati sunt, ut facere non possumus quin imitationem factam esse statuamus; tales sunt:

Aesch. Pers. 372:

τοσαῦτ' ἔλεξε κάρθ' ὑπ' ἐκθύμου φρενός·
οὐ γὰρ τὸ μέλλον ἐκ θεῶν ἠπίστατο.

Cf. Hom. X, 31:

ἴσκειν ἕκαστος ἀνὴρ, ἐπειὴ φάσαν οὐκ ἐθέλοντα
ἄνδρα κατακτεῖναι· τὸ δὲ νῆπιοι οὐκ ἐνόησαν,
ὡς δὴ σφιν καὶ πᾶσιν ὀλέθρου πείρατ' ἐφήπτο.

Hyperbole utitur nuntius in eadem fabula 429:

κακῶν δὲ πλῆθος οὐδ' ἂν εἰ δέκ' ἤματα
στοιχηγοροίην, οὐκ ἂν ἐκπλήσαιμι σοι,

qualis haud raro apud Homerum invenitur, e. g. γ, 114:

τίς κεν ἔπειτα
πάντα γε μυθήσαιο καταθνητῶν ἀνθρώπων
οὐδ' εἰ πεντάετες γε καὶ ἑξάετες παραμύμων
ἐξερέοις.

Non sine acerba quadam ironia Patroclus dicit de Cebrione moriente et ex essedo delabante II, 745:

ὦ πόποι, ἦ μάκ' ἐλαφρὸς ἀνήρ, ὡς ῥεῖα κυβιστᾶ,

cui loco similia sunt verba nuntii in Pers. 305:

πήδημα κοῦφον ἐκ νεῶς ἀφήλατο.

Non minus ex Homero originem duxisse videntur, quae legimus v. 345:

ἀλλ' ὦδε δαίμων τις κατέφθειρε στρατὸν,

τάλαντα βρῖσας οὐκ ἰσορρόπῃ τύχῃ,

nam nemo nescit, satis usitatam fuisse Homero de fati trutina imaginem, cf. Θ, 70; X, 208.

Porro constat epithetorum ornantium, quae dicuntur, usum late diffusum esse in carminibus epicis, e quibus translatus est et in poesin lyricam et in melicas tragoediae partes, cum a diverbio magis est alienus. Secundum ea autem quae adhuc disputavimus, minime miraberis nuntiorum narrationes illo epithetorum ornamento esse distinctas eaque epitheta aut plane esse HomERICA, aut HomERICIS simillima. Quo ex numero afferro Soph. Trach. 354: ὑψίπυργος Οἰχαλία; El. 9: πολύχρσοι Μυκῆναι (ubi vide Schol.: τὰς πολυχρῶσους· "Ομηρος· πολυχρῶσοιο Μυκῆνης); Aesch. Sept. 459: εὔχαλκον κράνος; ibid. 540: χαλκήλατον σάκος; ibid. 642: εὔκνυλον σάκος; ibid. 590: εὔκνυλος ἀσπίς; ibid. 446: εὔχαλκα ὄπλα; ibid. 320: πολύπονον δόρυ; ibid. 408: χαλκήρης στόλος; ibid. 376: εὐήρετος σαλμός; ibid. 357: μέλαινα νύξ; ibid. 306: λευκόπωλος ἡμέρα; Eurip. Bacch. 690: κροφόροι βόες; ibid. 691: θαλερὸς ὕπνος; ibid. 693: ἄζυγες πάρθενοι etc.

Aequae atque epithetorum comparationum quoque frequentissimus est usus et in epicis carminibus et in nuntiorum narrationibus. Ita enim statuendum est, necessitate non minus quam artis praeceptis coactum Homerum comparationibus saepissime usum esse. Illa vero necessitas in ipsa poeticae orationis natura posita esse videtur, quae cum homines docere nolit nec intellectus eorum formare aut colere, mirum quantum abhorret ab ea ratione, quae ad intellectum se convertit formasque eas eligit, quae magis in externarum rerum notionibus, quam in abstractis, quas logici dicunt, versantur. Itaque ut etiam nunc pueros vel de plebe homines, quorum oratio ab abstractis illis notionibus solet aliena esse, vulpium potius astutiam, leonum fortitudinem, piscium agilitatem videmus afferre, quam singulari sagacitate hunc rem suam egisse, eximia fortitudine illum pugnasse, ita Homericæ aetatis egisse poetas concludere licebit, ut, cum de heroum fortitudine, de terribili armorum strepitu, similibus rebus loquerentur, ne vocibus uterentur, quae abstractam illam magnitudinis gradusque notionem continerent, ea e rerum natura afferrent, quae ipsa illa ratione, quam indicare volebant, quam maxima excellere viderentur.*)

*) cf. Hoppe, de comparationum et metaphorarum apud tragicos Graecos usu, in Programm. Berol. 1859.

Quae cum ita sint, suo jure egisse mihi videntur poetae tragici, quod, cum humilioris sortis homines loquentes inducerent, qui quidem, quali sunt mente et cogitatione, non multum differunt ab Homericis hominibus, eorum orationi frequentes intexuerunt comparationes, quarum usus, ut late diffusus in chori carminibus, ita quamvis non omnino tamen magis alienus est a justo diverbio. Ita excubitor in Aesch. Ag. 3 *κοιμάται κυνὸς δίκην*, in Sept. v. 62 nuntius adhortatur Eteoclem, ut urbem defendat et gubernetur *ὥστε ναὸς κεδνὸς οἰακόστροφος*, et in eadem fabula v. 351 Tydeus clamitat *ὡς δράκων* pugnandique est cupidus (v. 393) *ἵππος χαλινῶν ὡς κατασθμαίνων μένει, ὅστις βοῆν σάλπιγγος ὀρμαίνει κλύων*; Capaneus v. 430 *τὰς ἀστραπὰς τε καὶ κεραυνίους βολὰς μεσημβρινοῖσι θάλλειεν προσήμασεν* et Hippomedon v. 495 bacchatur *Θυιάς ὤς*. In ejusdem poetae Pers. v. 424 Graeci Persas fugientes *ὥστε θύνους ἢ τιν' ἰχθύων βόλον ἀραιῶν κωπῶν* verberant atque incutiunt. Sororis de fratre luctum describit nuntius in Soph. Antig. v. 423: *ἀνακονύει πικρῶς ὄρνιθος ὄξυν φθόγγον, ὡς ὅταν κενῆς εὐνής νεοσσῶν ὄρφανον βλέψη λέχος*; in Eurip. Med. 1202 pater filiam amplectitur: *προσείχεθ' ὡς τε κισσὸς ἔρρεσιν δάφνης*; in Bacch. v. 1058 Bacchus abietem, in quam Pentheus est ascensurus *κατήγευ, ἤγευ, ἤγευ εἰς μέλαιν πέδον· κνυλοῦτο δ', ὥστε τόξον ἢ κυρτὸς τρόχος τόρυν γραφόμενος περιφορὰν ἔλκει δρόμου, ὡς κλῶν ὄρειον ὁ ξένος χεροῖν ἔργων ἔκαμπτεν εἰς γῆν*, quam comparationem etiam forma simillimam esse Homericis non est quod moneam. In eadem nuntii narratione v. 1088 Bacchae *ἤξαν πελείας ὠκύτη' οὐχ ἤσσανες*, et 1053 jocantur *ἐκλιποῦσαι ποικίλ' ὡς πῶλοι ζυγά*. Sed longum est plura afferre exempla, quum allata sufficere videntur ad confirmandam sententiam supra propositam.

Jam vero ab hac de elocutionibus disputatione, unde facile quisque intelliget, multum poetarum interfuisse, ut in nuntiorum narrationibus epico colore servato harum partium epicam originem ostenderent, transeamus ad quaestionem difficillimam, quae est de augmenti syllabici in illis narrationibus omissione, de qua prorsus in diversa abierunt viri docti; fuerunt enim et qui augmentum in trimetris nusquam omissum esse censerent, et qui quamvis speciem omissi cupidius arriperent*).

Et primum quidem Seidlerus observavit, omnia fere, quae exstarent augmenti syllabici omissiones inveniri in nuntiorum narrationibus. Nec mirum foret, si quidem ad ea, quae supra attulimus de tragoediae Graecae origine, respicimus, si hae narrationes id prae diverbiis praecipuum haberent, ut in iis quemadmodum in epica poesi concessa esset augmenti omissio.

Negat omissum esse augmentum Elmslejus allatis duobus argumentis, uno, quod cum in illis narrationibus multo major sit praeteriti temporis usus quam in diverbiis, con-

*) cf. Elmsl. ad Eurip. Bacch. v. 1132; Reisig. Conject. in Aristoph. lib. I, pag. 78 seqq.; G. Hermann. praefat. ad Eurip. Bacch.; Matthiae Gramm. pag. 293 seqq.; Krueger Gramm. II § 28, 3, 4.

sentaneum sit, rariorem in diverbiis augmenti omittendi opportunitatem fuisse; altero, quod a defensoribus illius omissionis numerus exemplorum plus aequo auctus sit. Parvae fidei sane haec argumenta! nam illud prius aperte falsum est, cum etiam in diverbiis frequentissima sit praeteriti temporis usurpandi necessitas et praeter diverbium permultae exsistent majoris circuitus orationes, in quibus res praeteritae narrantur; hoc autem posterius argumentum non est cur refellamus, quum nemini facile comprobetur et adversarios augmenti omissionis non minus in eam saevisse constet.

Alii deinde censent augmenti abjectionem penitus a trimetris tragicorum removendam esse, quod in infinita illa verborum multitudine, quae habent augmentum, omitti adeo rara inveniuntur exempla, ut, praesertim cum maximam partem facillime sanari possint, plane sit incredibile, paucissima illa, quae refragentur emendationi, non esse corrupta. His vero cum Hermanno respondendum est, raritatem non esse per se vitii testimonium et utcumque suspecta sint talia exempla, tamen, usque dum certo constet corrupta esse, non esse iis emendationem admovendam. Ut exemplo utar, undecim fere locis apud Aeschylum et Sophoclem in trimetro invenitur forma optativi in *ατο* exeuntis, nec tamen quemquam inveni, qui illos locos eam ob raritatem in corruptorum numero haberet et conjecturis sollicitandos esse censeret. Totius autem quaestionis, quam tractamus, summa in eo posita est, ut quaeramus, num ea, quae propter raritatem suspecta esse videantur, certam aliquam habeant rationem.

Hi igitur, qui augmenti omissioni adversantur, ut Elmslejus, in tres classes dividere solent exempla, quae in examen vocanda sunt; dicunt enim, aut sine metri dispendio addi posse augmentum, aut per aphaeresin in duorum versuum commissura tolli, aut quae exempla neutra ratione augmentum admittant, ea esse corrupta et opus esse medela, quam plerumque facillime inveniunt pro imperfecto praesens scribentes.

Sed antequam quaestionem, de qua sermo est, porro tractamus, non abs re mihi videtur esse, erroris mentionem fecisse, quo non unum teneri video virum doctum*). Non enim satis accurate distinguere solent inter crasin et aphaeresin: crasis fit, cum vocalis vocem claudens cum sequentis vocis vocali initiali in unam syllabam conjungitur, ut syllaba producta oriatur; aphaeresis autem est vocalis initialis elisio, qua efficitur, ut neque hiatum creet, neque morae vicem sustineat. Quae cum ita sint, omnibus iis locis, ubi Hermannus l. l. de crasi agit, aphaeresis intelligenda est. Id eam ob rem commemoratum volui, ne quis perturbatione illa notionum grammaticarum commotus in errores incidat apud Hermannum legens haec: „certa et minime suspecta exempla docent, non impediri crasin interpunctione“, quae verba, si ad justam crasin, qualem modo descripsimus, retuleris, non poteris quin vehementer erres; constat enim crasi non posse conjungi voces, quae inter-

*) cf. Reisig, in Synt. Crit. pag. 21; Buttmanni Gramm. I. pag. 115, 117; G. Hermann praef. ad Eurip. Bacchi.

punctione aut pausa metrica disseptae sint, sed recta est illa Hermanni sententia, si aphaeresin pro crasi posueris.

Sed redeo ad institutam de augmenti abjectione quaestionem, quae ita mihi videtur ad liquidum perduci posse, ut imprimis eorum locorum habeamus rationem, quos augmenti omissionis adversarii, cum nulla ratione augmentum admittant, in corruptorum numero habent et conjecturis sanare studuerunt. Quos si librorum auctoritate confirmatos viderimus et justam praeterea omissi augmenti rationem invenerimus, mihi quidem res non amplius dubia esse videtur. Omnino enim hac tota in quaestione librorum fidei, quos alias primum adire solent viri docti in critica arte exercenda, mea quidem sententia parum tributum est. Ac librorum auctoritate confirmari augmenti omissionem video his fere locis:

Aesch. Pers. 313:

οἶδε ναὸς ἐκ μιᾶς πέσον,

ibid. 375:

*ναυβάτης τ' ἀνήρ
τροποῦτο κόπην σκαλμὸν ἄμφ' εὐήρετον,*

ibid. 416:

*αὐτοὶ δ' ὑφ' αὐτῶν ἐμβόλοις χαλκοστόμοις
παίοντ', ἔθρανον πάντα κωπήρη στόλον,*

Soph. Oedip. Col. 1621:

*ἦν μὲν σιωπή· φθέγμα δ' ἐξαίφνης τινὸς
θῶ' ὕξεν αὐτὸν, ὥστε πάντας ὀρθίας
στήσαι φόβῳ δείσαντας ἐξαίφνης τρίχας,*

Soph. Oedip. Rex 1244:

*καλεῖ τὸν ἦδη Λαῖον πάλαι νεκρὸν,
μνήμην παλαιῶν σπερμάτων ἔχουσ', ὑφ' ὧν
θάνοι μὲν αὐτὸς, τὴν δὲ τίκτουσαν λίποι
τοῖς οἴσιν αὐτοῦ δύστεκνον παιδουργίαν
γοᾶτο δ' εὐνάς, κ. τ. λ.*

Eurip. Bacch. 1074:

*καὶ ταῦτ' ἄμ' ἠγόρευε, καὶ πρὸς οὐρανὸν
καὶ γαῖαν ἐστήριξε φῶς σεμνοῦ πυρός·
σιγῆσε δ' ἀλθήρ· σῖγα δ' εὐλειμος νάπη,*

qui locus non solum codicum, sed etiam Christi patientis non contemnenda auctoritate confirmatur.

ibid. 1057:

λαβῶν γὰρ ἐλάτης οὐράνιον ἄκρον κλάδον,

κατῆγεν, ἦγεν, ἦγεν εἰς μέλαν πέδον·
κυκλοῦτο δ' κ. τ. λ.

ibid. 1126:

ἔφερε δ' ἡ μὲν ᾠλήνην,
ἡ δ' ἕχρος ἀνταῖς ἀρβύλαις· γυμνοῦτο δὲ
πλευρὰ σπαραγμοῖς.

Sed sufficient haec exempla, in quibus augmenti omissionem omnium fere librorum scriptorum auctoritas tuetur. Ac mirandum sane est, his locis libros omnes augmentum omittere, quum id tamen aliis locis exhibeant.

Altero loco, ut supra dixi, quaerendum est, num justam habuerint poetae rationem, cur iis locis, quorum modo fecimus mentionem, augmentum omitterent. Qua de re quae Hermannus copiose disseruit, quaeque de augmenti omissione proposuit praecepta, metuo ut cuiquam persuadeat. Summa autem disputationis ab eo insituae huc fere redit: in ipsa natura orationis trimetro tragico adstrictae, leges quasdam inesse, quibus augmenti vel servandi necessitas vel abjiciendi permissio regatur, et omitti augmentum nunc in verbo fortiore, sententiam graviter incipiente, nunc in verbo minus forti, media in sententia, sed initio versus, ne in rei gravis expositione aequabilitas numeri jambici anapaesto turbetur. Id si verum esset sane esset mirandum, qui factum sit, ut non multo pluribus locis augmentum omitteretur, nam quas ille proposuit omissionis leges, eae, quamvis adversante Hermanno sine dubio ad aliorum etiam quam nuntiorum in tragoediis narrationes referri possunt. Atqui constat, omnes augmenti omissi exempla in nuntiorum narrationibus inveniri, ut omissionem propriam esse earum narrationum haud injuria liceat contendere. Afferunt quidem omissi augmenti exemplum e Polymestoris regis narratione in Eurip. Hee. v. 1122: *θάκουν*, attamen Hermannus jam recte docuit, e scholio cod. Flor. 59 apparere, lectum esse olim praesens *θακοῦσ'*, quare in promptu est, quod scriptum fuerat *ΘΑΚΟΥΣ*, i. e. *θάκους*, a librariis pro verbo esse habitum. Eo factum, ut non videntes *θάκους ἔχουσαι* conjungenda esse, participium ad sequentia referrent, unde necessario consequbatur, ut post *ἦνον* (v. 1123) copulam *τὲ* adderent, quae non erat a poeta profecta.

Quae cum ita sint, aliam rationem quaeramus necesse est. In carminibus epicis augmentum syllabicum modo adhiberi, modo omitti constat, quamvis leges, quibus hoc illudve regatur, non prorsus perspectas habeamus. Epicos deinde poetas secuti sunt lyrici et tragici in melicis partibus, ut mihi quidem videtur, nulla alia causa commoti, nisi quod formae augmento carentes, quippe Homeri propriae, antiquo ideoque poetico quodam colore tinctae videbantur. Neque ob aliam causam ullam tragici poetae, cum illis formis in diverbiis abstinere, in nuntiorum narrationibus, quo epicam earum naturam indicarent, hic illic utebantur, idque ut contendam eo magis adducor, quod, ut jam supra demonstravi, alio quoque modo aliisque artificiis idem efficere studebant.

Hanc igitur rationem secuti non possumus, quin praeter exempla supra allata aliis quoque locis in nuntiorum narrationibus augmentum omissum esse statuamus, ubi omissio certa librorum MSS. auctoritate confirmatur. Exempla haec reperiuntur: Aesch. Pers. 310: *κύρισσον*; ibid. 490: *θάνον* (M. G. Vit. Lips. Ven. B. edit. ante Brunckium); ibid. 506: *πίπτον* (libri *πίπτον* δ', nisi quod Ald. *πίπτον τ'* habet et ex Par. I. *πίπτων* affertur); ibid. 458: *κυκλοῦντο* (*ἀμφὶ δ'εἰ | κυκλοῦντο* Ven. A. Par. B. C. et ante correctionem Vit. *ἀμφὶ δ'εἰ | κύκλουν τὴν* ex correctione Vit. *ἀμφὶ δ' | ἐκυκλοῦντο* G. Lips. et ut videtur Mosc. *ἀμφὶ δὲ*, ut Brunckius refert, supra scriptum in Par. B.); Sept. 459: *πήδησαν*; Coeph. 725: *θέτο*; Soph. Oedip. Col. 1602: *πόρευσαν*; ibid. 1608: *κλαῖον*; ibid. 1606: *κτύπησε*; 1607: *όίγησαν*; Electr. 715: *φορεῖθ'*; ibid. 716: *φείδοντο*; Trach. 904: *βρυχᾶτο*; ibid. 915: *φρούρουν*; Eurip. Bacch. 767: *νίψαντο*.

Jam hoc disputationis institutae caput ad finem perducturus paucis commemoro fusum illud dicendi genus a nuntiis usurpatum, quod ut haud raro proximè accedit ad loquacitatem, qualem comoediae propriam esse videmus, ita interdum speciem praebet mirae illius in rebus describendis diligentiae atque accurationis, qua uti solent poetae epici, ut res narrandas quasi sensibus oculisque objiciant et plasticam, ut ita dicam, vim addant orationi. Exempla exstant Soph. Oedip. Col. v. 1621 seqq.:

λύγδην ἔκλαιον πάντες, ὡς δὲ πρὸς τέλος
 γόων ἀφίκοντ', οὐδ' ἔτ' ὠρώρει βοή,
 ἦν μὲν σιωπή.

Similem in describendo diligentiam prae se ferunt verba excubitoris in ejusdem poetae Antigona v. 429 seqq.:

καὶ χερσὶν εὐθὺς διψίαν φέρει κόνιν,
 ἐκ τ' εὐκροτήτου χαλκίας ἄρδην πρόχου
 χοαῖσι τρισπόνδοισι τὸν νέων στέφει.

et infra v. 1232 seqq., ubi nuntius refert, quomodo Haemon ipse sibi mortem consciverit.***) Nec minus huc referenda est paedagogi in Electra inde a versu 670 Pythiorum, quibus Orestem mortem occubuisse simulat descriptio, in qua poetam Homeri descriptionem ludorum funebrium Patrocli secutum esse Hermannus, Schneidewinius, alii recte annotarunt fabulae editores. Luculentissimum vero exemplum se offert in Aeschyli Sept., qua in fabula nuntius ducum infestorum clypeos insignes prorsus epico modo describit (vid. v. 387—390, 432—434, 465—469, 491—491, 439—444, 643—648). Sed haec hactenus.

*) ubi vid. Schneidewinii annotat.

**) ubi vid. Schneidewinii annotat.

III.

Ut jam supra dictum est, poetae non solum id egerunt, ut nuntiorum narrationes epicae originis vestigia servarent, sed ut nuntiorum quippe servorum oratio interdum prope accederet ad quotidianum dicendi genus eamque dictionem, qua mediocris conditionis homines utuntur, quod variandi studium falso in grammaticorum quorundam reprehensionem incurrit. Jam quaeramus, quibus illud artificii poetae sint assecuti.

